

Copius. Tricesimus tertius, *Gordius*. Post mortem vero *Gordii*, Sedem suam iterum obtinuit, & gubernavit *Narcissus* unacum Alexandro, qui, vivente adhuc, & volente *Narcisso*, Hierosolymorum Episcopus est ordinatus, & hanc Ecclesiam simul cum *Narcisso* rexit. Mortuo autem *Narcisso*, *Alexander* Ecclesiam Hierosolymitanam solum gubernavit usque ad persecutionem *Decii*, qua grassante, in carcerem coniectus pro Christo mortem oppetiit anno Christi 250. vel 251. Cui successit *Mazabanus*, de quo mentionem facit *Dionysius* in Epistola ad Stephanum Papam. *Mazabano* successit *Hymeneus*, qui interfuit Concilii contra Paulum Samosatenum celebratis anno Christi 264. & 270. dinque rexit Ecclesiam Hierosolymitanam. *Eusebius* siquidem in Chronico scribit, anno dumtaxat Christi 298. *Hymeneo* successisse *Zabdam*, qui praesuit Ecclesiae Hierosolymitanae usque ad initium quarti saeculi. Habes nunc, ut promiseram, continuam successionem Episcoporum, qui in tribus primis Ecclesiae saeculis praecipuas Sedes occuparunt, Romanam, videlicet, Alexandrinam, Antiochenam, & Hierosolymitanam.

D. Fidem tuam plene liberaffi, votisque meis abunde fecisti satis. Quia tamen texendo seriem Episcoporum, qui tribus primis saeculis Hierosolymitanae Ecclesiae praesuerunt, mentionem fecisti de obfisione, & destructione Urbis Hierusalem facta ab Exercitu Romanorum, imperante *Vespasiano*, incessit animum cupido addiscendi Historiam Judaeorum a morte *Herodis*, quo regnante in Judaea, natus est Christus Dominus, usque ad ultimam Hierosolymae cladem, seu usque ad integram ruinam, & totius gentis Judaicae dispersionem.

M. Legisti, opinor, ea, quae in Tractatu de *Mysteriis*, & annis Christi scripti de statu, & conditione Judaeorum, regnante *Herode* in Judaea, quomodo videlicet, regnante in Judaea *Herode*, qui erat alienigena, & a Senatu Romano Judaeae Regno donatus, Sceptrum, seu Regia, vel Ducalis dignitas fuit a gente Judaica omnino ablata, paulo antequam nasceretur Christus verus Messias, in quo impletum est illud *Jacobi* propedem morituri Oraculum: *Non auferetur Sceptum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium*. *Genesis* 49. Cum igitur ea, quae spectant Historiam Judaeorum, regnante *Herode*, jam explorata, compertaque habere possis ex lectione praelaudati Tractatus a me lucubrati, his impraesentiarum referendis, ne tibi fastidium ingeram, lubens superfedebo. In proximo autem Colloquio texam Historiam rerum, quae perfidae Nationi Judaicae contigerunt ab obitu *Herodis* usque ad ultimam Urbis Hierosolymitanae cladem, ex qua narratione facile intelliges, totam Nationem Judaicam eo solo nomine fuisse a Deo reprobam & quaqua versum dissipatam, quod Jesum Christum verum Messiam agnoscere, ejusque doctrinam auscultare detrectavit. Clare etiam perspicies, omnes Jesu Christi Servatoris nostri praedictiones de excidio & integra desolatione Popu-

li Judaici, de Urbis & Templi, quo nihil antiquius habebant Judaei, funesta destructione, & ruina, fuisse omnino completas. Denique, tibi ob oculos ponam terribilem effectum illius imprecationis Judaeorum, qui, injustam a *Pilato* ut extorquerent sententiam damnationis in Christum, exclamarunt caeco furore abrepti: *Sanguis ejus, idest, Christi, super nos, & super filios nostros*. Quorum omnium certissimum eventum nunc coruscante Sole meridiano clariorem probant Historiae, ac praesens deploratissima Judaeorum conditio. Hoc erit igitur proximi nostri Colloquii argumentum.

D. Aegre a te divellor, sed, quia ita praecipis, ad meos familiares lares redeo, ea tamen lege, ut crastina die huc revertar gentis Judaicae Tragediam pronis ac suspensis auribus auditorus.

COLLOQUIUM III.

In quo exhibetur Historia Judaeorum ab obitu *Herodis* usque ad ultimam Urbis Hierosolymitanae cladem, eorumque referuntur Seditio, & funesta post excidium Hierosolymitanum conditio.

M. Ruinam Hierusalem, & Judaeorum Tragediam accuratissime describit *Josephus Hebraeus* in septem libris, quos edidit, de bello Judaico, totiusque gentis suae Judaicae universalem Historiam a condito Mundo ad sua usque tempora complexus est viginti libris, quibus, *Antiquitates Judaicae*, titulum dedit. Ex hoc igitur probatissimae fidei, magnique apud Judaeos nominis Authore compendiose hic perscringam Historiam Judaeorum ab obitu *Herodis* usque ad excidium Urbis Hierosolymae.

In primis, ut rem ab ovo, sicut ajunt, narrare incipiam; postquam *Herodes*, qui quinto anno Imperii Augusti Rex Judaeae a Romano Senatu fuerat declaratus, regnasset triginta circiter septem annis, in gravissimum morbum annos natus LXX. incidit. Quo morbo, poenas impietatis *Herodis* exigente Numine, in dies ingravescente, & post varia, sed frustra adhibita remedia, profectus est *Herodes* ultra *Jordanem*, ubi sese calidis fovebat aquis. Ibi cum fere exanimis visus esset efflare animam, *Hierichuntem* repetiit, atque tunc valetudinem suam omnino deploratam esse intelligens, nobilissimos inter Judaeos serali Edicto huc accersiri, & in circo concludi iussit, datis mandatis *Salomae* sorori suae, ut postquam ipse fato cessisset, per milites ad unum omnes occiderentur, quo videlicet gaudium de morte sua quadantenus temperaret Judaeorum necessarius in morte propinquorum suorum luctus. Interim Roma accepit litteras *Herodes*, quibus ab Imperatore Augusto potestas ipsi permittebatur animadvertendi in filium suum *Antipatrum*, quem contra ipsius vitam conspirasse compererat. Hoc lato nuncio tantisper recreatus est, & acutis doloribus liberatus *Herodes*, sed iis paulo post vehementius quam antehac excruciatas, sibi necem consciscere tentavit, a quo scelere impeditus a suo consobriano, indoluit scelestissimus ille Rex sibi

pra-

praeparam fuisse occasionem violentas sibi inferendi manus. E vestigio tamen per Palatium sparsus est rumor, & ingens auditus de morte *Herodis* clamor, isque ad aures *Antipatri* carcere detenti pervenit, qui sui criminis impunitatem ex morte patris sperans, fugam e carcere meditatus est. Quod ubi rescivit *Herodes*, vivum adhuc cadaver, sibi temperare non potuit, sed actus in rabiem filium suum *Antipatrum* crudelitate plusquam Scythica actutum jugulari iussit. Ipse vero quinta die post occisionem filii sui *Antipatri* vermibus arrosus, domi vexatus a suis, exagitatus criminum furiis, oppressus undecumque caterva malorum turpem animam expuit anno tricesimo septimo Regni sui, postquam videlicet a Senatu Romano fuisset Rex Judaeae declaratus, sed a morte *Antigoni* ultimi ex *Assamonaeorum*, seu *Machabaeorum* stirpe Principis, post quem *Herodes* solus regnavit in Judaea, anno trigesimo quarto. Ita tot scelestibus infamis *Herodes*, atque *Innocentium* *Bethleemitarum* caede potissimum execrandus, e vivis sublatus est dignus sane qui ultimum Dei manum pateretur, cujus iram nefandis suis flagitiis tandem provocaverat.

Mortuo *Herode*, impiae illius iussiones de occidendis his Judaeis, quos in circo concluderat, exitu caruerunt. *Salome* siquidem, ejusque vir *Alexa* ejusmodi Judaeos in pristinam libertatem assertos, quasi *Herodes* ante obitum suum ita iussisset, salvos, & incolumes ad suos proprios lares remisit. Non desuit tamen Judaeis post mortem *Herodis* tristitia causa. Tunc enim parentes, & affines *Mathiae*, aliorumque Judaeorum, quos, ob deturbatam Aquilam auream, vivos comburi iusserat *Herodes* antequam moretetur, tumultuari ceperunt in mortuum *Herodem* jacentes convicia, & ad supplicium nonnullos Regis amicos deposcentes; cumque illos *Archelaus* Regni successor in testamento *Herodis* patris sui designatus verbis placare, & emollire haud potuisset, immisso exercitu tria eorum millia in festo Paschae concidit. *Archelaus* anno elapso ab obitu *Herodis* patris sui Romam profectus est, ut litem inter se, & suos fratres *Antipam*, & *Philippum* de testamento *Herodis* obortam ad Imperatorem Augustum deferret, & ab eo Judaeae Regnum, ad quod in testamento Patris sui fuerat designatus, confirmatum obtineret. Verum, absente *Archelao*, gravis Hierosolymis, occasione avaritiae *Sabini* ab Augusto Imp. post mortem *Herodis* in Judaeam missi, concitata est seditio, quam bis mille crucibus, quibus seditiosi Judaei suffixi sunt, & quorumdam aliorum incendio opportune restinxit *Quintilius Varus* Syriae Praeses, qui *Sabino* Hierosolymis periclitanti, & tantum non a Judaeis oppresso suppetias tulit.

Dum haec Hierosolymis agerentur, totaque Judaea armis seditiosorum hominum, qui Principatum ambiebant, cruentaretur; Imperator Augustus litem inter filios *Herodis* motam de Patris testamento ita diremit, ut *Herodis* ditio in tres partes distribueretur. *Archelaus* Judaeam, *Samaritiam*, & *Idumaeam*, non tamquam Rex, sed ut

Ethnarcha obtinuit. *Herodes Antipas* Archelaei frater constitutus est Ethnarcha Galilaeae, & *Petrus*. Denique, *Philippus* tertius *Herodis* filius *Itureae*, & *Trachonitidis* Tetrarchia donatus est. *Archelaus* igitur Judaeam tamquam Ethnarcha novem annis rexit, sed a *Proceribus* Judaeorum, & *Samaritanorum*, qui ejus tyrannidem ferre non poterat, apud Imperatorem Augustum accusatus, omni ditio, & pecunia multatus Viennam in Gallias fuit in exilium amandatus, & post illius exilium missus est ab Augusto Imp. in Judaeam *Quirinius*, ut percereret facultates Judaeorum, & *Archelaei* pecuniam in potestatem suam redigeret. Tunc Judaea in Provinciam Imperii Romani redacta suos cepit habere Praefectos a Romanis Imperatoribus missos, a Praesidibus Syriae omnino distinctos. Sub idem tempus, cum *Quirinius* censum in Judaea perageret, ingentem seditioem *Judas Galilaeus* ex *Oppido* *Gamala* excitavit; negabat quippe a Judaeis, qui erant Filii Dei, Romanis Dei servis tributa esse perfolvenda, sicque omni, qua pollebat, eloquentia hortabatur Judaeos suapte natura ad defectionem proclives, ut a suis cervicibus excuterent Romanorum jugum, & denegarent tributa, quae ab ipsis nomine Imperatoris exigebantur. Verum, ad nihilum reciderunt omnes illi tumultus; nam capto a Romanis, ac caeso illo *Juda Galilaeo*, duobusque ejus filiis in crucem actis, domiti *Judaei* colla sua Romanorum jugo subdere, seque ut servos agnoscere coacti sunt.

Primus Praefectus a Romanis in Judaeam missus fuit *Coponius*, cui successit *Ambivius*. *Ambivium* in Judaeae Praefectura excepit *Annius Rufus*, *Rufus* successit *Valerius Gratus*, sub quo Roma expulsi sunt Judaei, quorum quatuor millia in *Sardiniam*, gravioris *Caeli* Insulam, distribuit *Tiberius* tum temporis Imperator. Post *Valerium Gratum* in Judaeam a *Tiberio* Imp. missus est novus Praeses *Pontius Pilatus*, vix mancipium Imperatoris; cujus ut sibi benevolentiam conciliaret, totam in suo ingressu Judaeam funestavit, illatis videlicet Hierosolymam clypeis, quos in *Tiberii* gratiam, atque in odium populi Judaici dedicatos iussit in ipsa *Herodis* Regia collocari. His clypeis imaginem *Caesaris* insculptam fuisse tradit *Josephus* Judaeus lib. 18. *Antiq. Jud.* cap. 3. & lib. 2. de bello Judaico cap. 8. *Philo* vero alter Judaeus in lib. de legatione ad *Cajum* nomen tantum *Caesaris* his clypeis inscriptum fuisse affirmat. Utcumque res sese habuerit, certissime constat, Judaeos existimantes hac novitate patrios suos ritus violari, excanduisse, arma sumpsisse, & strenue *Pilato* resistisse, ne quam contumeliam Judaicae leges paterentur. Quo factum est, ut *Pilatus* metuens constantiam Judaeorum, qui se pro lege Dei mori promptissimos exhibebant, clypeos jussit *Caesarem* asportari. Haec fuerunt exordia Magistratus *Pontii Pilati* Judaeae Praesidis, qui non solum injuste vexavit populum, sed etiam, non multos post annos, ad execranda Judaeorum postulata Jesum Christum verum Deum & hominem Crucis supplicio addixit.

B 4

V-

Vitellius Syriae Praeses misit *Marcellum* Judaeae Procuratorem in locum *Pilati*, quem a Judaeis accusatum Romam navigare iussit, causam suam coram Imperatore *Tiberio* peroraturum. Amovit etiam *Vitellius* Pontificatu *Caipham*, eique subrogavit *Jonathan Anani* filium. Tunc autem vernalis esse coepit sacer ille Magistratus, ad quem capeffendum non scientia, non pietas, sed humanus favor, nummique flagitabantur.

Mortuo Imperatore *Tiberio*, summa rerum potitus est *Cajus Caligula*, sub cuius Imperii exordium, *Agrippa* Judaeus, filius *Aristobuli*, nepos *Herodis*, qui primo versatus in officiis *Drusi* & *Caji*, delatione deinde *Eutychi* sui Liberti, quasi *Tiberio* mortem, & *Cajo*, quem impense diligebat, Imperium apprecatus esset, in vincula sex mensibus ante obitum Imperatoris *Tiberii* datus fuerat, vinculis exsolutus est, eique *Cajus* Imperator catenam auream pro ferrea imposuit, & *Tetrarchidem* *Itureae*, & *Trachonitidis* *Philippi* patrum eius nuper funere elati, necnon *Tetrarchidem* *Abilinae*, quam possederat *Lysanias*, simul cum regia dignitate ei concessit. At, dum *Agrippa* titulo Regis auctus suum per *Aegyptum* in *Judaeam* reditum meditatur, *Aegyptiorum*, & maxime *Alexandrinorum*, in *Judaeos* excitavit invidiam. Hi siquidem aegre admodum ferentes insensam sibi nationem *Judaicam* in novo Rege felicitatem, sed praesertim magno ipsius Regis *Agrippae* fastu offensus, Praesidem *Aegypti* *Flaccum* in *Judaeos* exasperarunt, quo, si minus aperte agente, saltem connivente, *Agrippam* Regem magno *Alexandrinis* exceperunt ludibrio, eique *Ludicum* Regem, *Carabam* nomine, fectis ornatum insignibus, & inter infanientis plebeculae inconditos clamores per compita ductum opposuerunt. Neque hic fuit ultimus fabulae actus; nam de repente, mutata scena, ludus versus est in tragicum luctum. In *Judaeos* *Alexandriae* degentes immissa clade promiscue saevitum est. Plures ex illis palam ustulati, innumeris ferro, aut fame perempti, flagris caesi, membratim discerpti, vel in crucem acti, diruta domus, Synagoga simulachro *Caji* Imperatoris polluta, aliaque demum accessere calamitates, quas *Philo* *Judaeus* oculatus testis lato calamo descripsit tum in Commentario adversus *Flaccum* *Aegypti* Praefectum, tum in sua legatione ad *Cajum* Imperatorem. Hac omnia mala, quae *Alexandriae* passi sunt *Judaei*, fuerunt praeludia longe majorum malorum, quibus divina ultio *Judaeos* ob effusum *Christi* Servatoris nostri sanguinem affigere debebat. Nam circa idem tempus in una sola *Seleucia* Urbe, conspirantibus in *Judaeos* *Graecis* cum *Syris*, supra quinquaginta *Judaeorum* millia fuerunt trucidata.

Verum, ut revertamur ad id, unde paululum digressi sumus, postquam Rex *Agrippa* in suum *Judaeae* Regnum post varia discrimina, & multa regiae suae dignitati ab *Alexandrinis* Civibus illata opprobria, appulisset, *Herodis* *Antipae* patrum sui incurrit invidiam. *Antipas* quippe *Tetrarchiae* suae in Regnum commutandae percupidus, uxoris suae *Herodiadis* suavis, Romam una cum

ipsa, ut hoc beneficium ab Imperatore impetraret, navigavit. Sed *Antipas* litteris *Agrippae* apud *Cajum* Imperatorem proditoris accusatus, in exilium ablegatus est *Lugdunum* cum uxore, quae insaufam ipsius sortem ultro secuta est.

Agrippam Regem *Tetrarchia* *Antipae* in exilium pulsus donavit *Cajus* Imperator, ejusque Regnum, adjectis *Judaea* & *Samaria*, denuo amplificavit *Claudius* successor *Caji*. At in tam ampla fortuna, Regnique prosperitate insolescens *Agrippa* morte foedissima periit. Enim vero, sicut legitur in *Actibus* *Apost.* cap. 12. v. 21. statuta quadam die, veste regia & splendida ornatus sedens pro *Tribunali* *Agrippa*, & orationem ad populum habens, sui penitus oblitus sivit se tamquam Deum honorari a populo acclamante: *Dei* voces, & non hominis, confestimque percussit eum *Angelus Domini*, eo quod non dedisset honorem Deo, & consumptus a vermibus expiravit. Sic mortuus est *Agrippa*, *Filiumque* *superstitem* reliquit natum annos 17. dictumque *Agrippam* juniorem, quem patris sui Regno *Judaeae* in tot factiones distracto gubernando imparem cum judicaret *Claudius* Imperator, constituit post obitum *Agrippae* *Cuspium* *Fadum* Praesidem *Judaeae*, cui praecepit, ut graviter animadverteret in *Cæsarienses*, & *Sebestanos*, qui mortuo *Agrippae* Regi insignem ignominiam intulerant. Concessit etiam idem Imperator *Herodi* *Chalcidis* Regi, qui senioris *Agrippae* frater germanus erat, potestatem in *Templum*, & in *sacrum* *Aerarium*. Mortuo autem illo *Herode* *Chalcidis* Rege, *Agrippa* junior, ipsius nepos, Regnum *Chalcidis* ab Imperatore *Claudio* obtinuit, eoque per quatuor annos potitus est. Sed postea, loco illius Regni *Chalcidis*, *Tetrarchias* *Philippi* & *Lysaniae* huic juniore *Agrippae* assignavit idem Imperator, quibus insuper partem *Galilaeae*, hoc est, *Tyberiadem*, multaque ultra *Jordanem* *Oppida* addidit *Nero* post *Claudium* Imperator. Habuit hic junior *Agrippa* *Palatium* *Hierosolymis*, custodiam *Templi*, & jus eligendi, ac deponendi *Pontifices*. Tunc enim *sacra* haec, & *suprema* apud *Judaeos* dignitas non erat amplius, sicut antiquitus, uni familiae annexa, nec ab eodem *Pontifice* ad mortem usque retenta, sed Reges, & *Judaeae* Praesides eligebant pro suo arbitrio *Pontifices*, aut eos *Pontificatu* abdicabant; adeo ut mirum non sit, quod in hanc *Pontificalem* dignitatem sese saepius intruserint ambitiosi viri omnino indigni, qui ad eam sublimarentur.

D. Tot inter rerum inclinationes, & status *Judaici* conversiones, tranquilla ne erat *Judaeorum* conditio?

M. In variis istis *Judaici* status permutationibus deploratissima fuit *Judaeorum* conditio ob intolerabile *Romanorum* jugum, ob avaritiam, & crudelitatem Praefectorum, atque petulantiam *Militum*, qui *Judaeis* gravissima damna inferebant. Hinc publica erant latrocinia, neces, Civitatum dirutio, domorum conflagratio, intestina inter ipsos *Judaeos* bella, quae promovebant quidam *Zelotae* *Judaei* (sic dicti, quod Patriae libertatis zelosus

se simularent) qui, sub specioso obtentu a *Judaeorum* cervicibus excutiendi *Romanorum* jugum, promiscue in omnes tam viros, quam mulieres atrociter saeviebant, multosque tumultus excitabant, quibus tandem *Civitas* *Hierusalem* vastata est, & *Templum* omnibus adorandum evasit sanguinis lacuna, latronum spelunca, occisorum sepulchrum, saevitiae Theatrum, & Tyrannorum domicilium.

D. *Perge*, quæso, narrare turbas, & calamitates, quibus *Judaei* agitati fuerunt usque ad ultimam *Urbs* *Hierosolymitanæ* cladem.

M. Imperante *Claudio* novam sub *Ventidio* *Cumano* *Judaeae* Praeside turbis occasionem dedit apud *Judaeos* *Romani* cuiusdam militis impudentia. Ille quippe *Hierosolymis* ad fores *Templi* iussu *Cumani* excubans, frequentissimo populo ad *Palchæ* solemniam affluenti obscenam corporis partem indecore nudatam in *Judaeorum* contemptum ostendit. Exarsit confestim ea contumelia populus *Judaeorum* in *Cumanum* Praesidem, qui, instructo ad *Turrim* *Antoniam* agmine, motam seditionem omni diligentia sedare adnititur. At *Judaei* suspicati, se ad necem peti, milites aggressi sunt, victi tamen *Judaei*, atque profligati ab exercitu *Romanorum*, viginti tria eorum millia interierunt. Sub idem tempus, exortum est *Judaeos* inter, & *Samaritanos* diffidium, quod infestis armis utrimque dum gliscit, tempestive sublatum est a *Quadrato* *Syriae* Praeside, qui seditionis auctores addixit supplicio, & *Cumanum* *Judaeae* Praefectum misit *Romam* una cum *Legatis* *Samaritanorum* & *Judaeorum*, ut coram Imperatore *Claudio* causam dicerent. Hos ubi audivit Imperator, saevit *Judaeis*, totiusque belli & seditionis originem in *Samaritanos* refudit, *Cumanum* Praefectura *Judaeae* abdicatum exilio damnavit, & in ejus locum suffecit *Felicem* *Judaeae* Procuratorem, qui postquam *Judaeam* a latronibus, sicariis, impostoribus, aliisque id genus nefariis hominibus, liberasset, novis tumultibus occasionem ipse praebuit, dum *Jonathanem*, qui fuerat *Summus* *Sacerdos*, per sicarium interfici iussit. Ex ea siquidem sceleris impunitate multi sicarii audaces facti occultos sub veste pugiones gestantes festiis diebus, quando major erat *Hierosolymis* populi concursus, impune eos, quos oderant, occidebant. Sic in pejus ruebant *Judaeorum* mores, neque dilata sunt exordia ultimæ illorum cladis, quam visa *Hierosolymis* signa portenderunt. Hora quippe nona lux ingens circa *Altare* per mediam horam effulit. In festo *Azymorum* porta *Orientalis* aëra, quam multi homines aegre poterant impellere, sponte patefacta est circa horam noctis sextam. In ipso die *Pentecostes*, cum *Sacerdotes* in *Templo* versarentur *Deum* de more precaturi, auditus est ingens strepitus cum his vocibus: *Migremus hinc*. Denique, homo quidam plebejus & rusticus *Hierosolymitanam* cladem praecipuit, saepius flebilibus modis *ve ve* *Hierosolymis* ingeminans, neque monitis, aut saavis verberibus abstinuit, donec *Ballista* *Romanorum* vocem ei cum vita eripuit.

Hæc fuerunt funesta imminentis ultimæ *Judaeorum* cladis praesagia, cui initium dedit *Gessius*

Florus *Judaeae* Procurator, & *Albini* successor, cuius tyrannidem *Judaica* natio ad biennium tulit, sed eo tandem desperationis adacta est, ut, seditione excitata, obstinatissimo animo defecerit a *Romanis*. Imperabat tunc temporis *Nero*, qui a *Baryllo*, olim ipsius *Pædagogo*, instigatus *Judaeis* *Cæsareae* degentibus jus Civitatis penitus abrogavit, & solis *Gentilibus* concessit. Hinc bellum, quod *Cæsareae* *Judaeos* inter & *Syros* jam fuerat excitatum, acrius recruduit, cumque utrinque grassationibus ageretur, & aliunde *Judaei* *Gessium* *Florum*, cuius tyrannidem ferre amplius non poterant, diriori morte dignum occidissent; *Cestius* *Syriae* Praeses, ut *Judaeos* in ordinem redigeret, venit *Hierosolymam* cum exercitu, sed inde a *Judaeis* fugatus, quinque millia *Romanorum* & *Arabum* peditum, ac trecentos cum *Aquila* *Romana* perdidit, equites vero nongentos ostoginta. *Judaei*, suis *Romanorum* copiis, se ad bellum praeparant, sed eorum defectionem cum primum audisset *Nero* Imperator, *Flavium* *Vespasianum* cum exercitu in *Judaeam* misit, qui rem strenue, ac feliciter gessit, duasque munitissimas *Urbes* *Jopem*, & *Jotapatam* expugnavit, in quarum ultima cepit *Josephum* *Judaeum*, qui ei praecipuit Imperium. Tunc miserimi *Judaei* spe sua delusi, agnovērunt non semper bellorum exitus initiis respondere, sed, ut vulgo dicitur, sero sapiunt *Phryges*. Venerat quippe illud tempus a *Propheetis*, & a *Christo* *Domino* praedictum, quo *Urbs* *Hierusalem* a *Romanorum* exercitu obsideri, ac penitus excindi debebat. Ad illius igitur Civitatis obsidionem dum sese accingeret *Vespasianus*, acclamatione exercitus suscepit Imperium, & filio suo *Tito* *Judaeam* debellandam reliquit. *Titus* itaque *Civitatem* *Hierusalem* obsessurus 18. Kal. *Maji* *Castra* in monte *Oliveti* collocat, suumque ex variis gentibus constatum exercitum explicat. Tum *Judaei*, qui *Hierosolymis* erant, omnesque extranei, qui, propter imminens *Paschæ* festum, de more *Hierosolymam* confluerant, ad defensionem *Urbs* certatim conspirarunt, & *Ducibus* *Joanne*, *Elazar*, & *Simone* sese pro legibus patriis devoverunt. Interim, *Romanus* miles, post primi & alterius muri expugnationem, in tertium invasit, magnamque edidit *Judaeorum* stragem. Urgebat insuper obsessos *Judaeos*, praeter intestinam seditionem, crudelissima fames, quæ tanta fuit, ut, teste *Josepho*, coria, calcei, foenum, stabulorum stercola, magno pretio venirent, & humanae carnes sumerentur in cibum. Quin, quod crudelius est, horretque cogitare animus, matres filiis suis non pepercerunt. Reperta siquidem est nobilis, ac praedives foemina, nomine *Maria*, quæ filiolum suum lactentem, & adhuc ad ubera appensum, assatum comedit. Praeterea, ingens erat in *Civitate* pereuntium numerus, & illi, qui, ut suæ salutis consulerent, fuga sese ex illa proruerunt, in *Syros* & *Arabes* inciderunt, a quibus resecto ventre, quoniam aurum suum vorasse credebantur, fuere crudeliter interempti, quorum duo millia una tantum nocte reperta esse scribit *Josephus*. Sic miser *Judaei* incidebant in *Scyllam*, volentes vitare *Charibdim*. Tot *Judaeorum* miseras, & proximam, atque

atque inevitabilem cladem, cum intueretur Titus, eos ad deditionem invitavit, sed furdis cecinit, nec eos a funesto pereundi proposito, quod altius animis infixerat, ullo pacto abducere potuit. Quare capta aclusum Antonia Turre, excitatoque per militem incendio, Augustissimum Templum, totoque Orbe celeberrimum conflagravit, Hierosolyma capta, excisa, ab imis fundamentis diruta, flammisque penitus abolita. Sic concidit sancta illa Civitas, quam olim Deus in deliciis habebat, suoque Templo, & Oraculis dignatus est, in cuius obsidione undecies centum Judaeorum millia casa, aut fame consumpta sunt, captivorum vero numerus nonaginta & septem millia. Sic Deus nationem Judaicam reprobavit, & Romanorum furori permisit, quod etiam agnovit ipsemet Titus, qui Urbis Hierosolymæ, ac Judaeorum ruinam, non suis armis, & militum fortitudini, sed soli voluntati Dei, ejusque præpotenti virtuti acceptam referri debere palam professus est.

D. Certe dignus Dei hic est. Justum quippe erat, ut Judæi, qui jugum Christi veri Messiae cæco furore abrepti subire detrectarunt, Romanorum tandem aliquando paterentur tyrannidem, & qui sui Servatoris sanguinem fuderant, meriti peirent suo. Sed quænam, amabo, fuit post excidium Hierosolymitanum Judaeorum conditio?

M. Post ruinam Hierusalem, Judæi per totum Orbem dispersi sunt, paucis exceptis, qui in Palæstina remanserunt. Sed cum Cælum ac solum, non tamen animum ad seditiones pronum mutarent, pluribus in locis jugi ferendi impatientes, & universarum in se nationum odia concitantes, contra Imperatores sæpius rebellarunt. In primis, sub Trajano Imperatore Judæi in Ægypto, in Insula Cypri, & in Mesopotamia peruelles arma sumperunt, & aperto Marte contra Romanos bellare cœperunt. Sed tandem victi atque prostrati, hinc expulsi ac dispersi sunt. Novam sub Hadriano Imperatore defectionem moliti Judæi Palæstinæ ad arma cucurrerunt Duce Barchocheba, quem sibi Regem præfecerunt; sed Julius Severus a Romanis cum Exercitu missus, ut procacem eorum petulantiam compesceret, commeatu prohibito, variisque stratagematis usus illos ita fregit, ut pauci admodum Judæi ex illo tumultu salvi evaserint. Hierusalem iterum funditus diruta est, novaque in residuis antiquæ Urbis rudibus extructa est Civitas, quam suo nomine *Æliam* appellari voluit Hadrianus Imperator. Obsederunt insuper Romani Urbem diem *Behere*, eaque post diurnam obsidionem periti sunt. Arces Judaeorum munitissimæ quinquaginta, vicique insignes nongenti octuaginta quinque penitus everfi sunt. Casa in excursionibus, & præliis quingenta octuaginta quinque Judaeorum millia, præter innumeros, qui fame, morbo, igne perierunt. Barchochebas insignis impostor, & seditionis auctor captus, & occisus est, tantaque fuit Judææ devastatio, atque depopulatio, ut ejus agri inculti jacerent, totaque Palæstina horribile desertum diceretur. Sic attriti Judæi cervicem amplius erigere non potuerunt,

aut, si pro innata sibi savitate sub Imperatoribus Severo, Constantino, & Constantio tumultuari, bellaque movere tentarunt, confestim subacti, ac domiti sunt, eorumque nullo negotio repressa audacia. Voluit quidem Imperator Julianus Apostata Templum Hierosolymitanum solo æquatum, in odium Christianæ Religionis, instaurare, sed flammis e fundamentis erumpentibus, aliisque id genus portentis, quæ refert id ætatis Scriptor Ethnicus *Marcellinus*, ab incepto opere desistere coactus est. Quapropter, Judæi sua spe delusi omnem de recuperanda libertate, & de reedificando Templo cogitationem abjecerunt, duræque servituti mancipati sub aliis Imperatoribus Christianis vixerunt, cum potestate tamen suam legem, suosque ritus observandi, dummodo Christianis non insultarent, eosque in suam sectam non inducerent, quod illis districte, & sub gravissimis pœnis vetitum est. Verum, destructo semel Hierosolymitano Templo, in quo solo juxta legem sacrificia Deo offerri debebant, non potuerunt deinceps Judæi, hac illac per Orbem dispersi, omnia legis suæ adimplere officia, maxime cum interrupta tunc esset series familiarum, quibus annexum erat Sacerdotium, tantaque apud Judæos esset confusio, ut nec tribus, nec familias ullo pacto discernere possent. Id ægre ferentes Judæi, ut in aliquod corpus coalescerent, & aliquam regiminis formam retinerent, Ducem sibi constituerunt, quem Judæi, qui debebant in Judæa, *Patriarcham* appellarunt; Judæi vero, qui in Oriente Sedes suas fixerant, *Principem captivitatis* nuncuparunt. Sed hos Judaeorum Patriarchas omnino abolevit Theodosius Imperator anno Christi 429. & incerta, ac tantum non fabulosa videtur series illa Principum captivitatis, quam ad undecimum Ecclesiæ sæculum protrahunt Judæi. Fabularum itidem loco accenseri debet, quidquid Rabbi *Benjamin Tudelensis* in sui Itinerarii Historia scribit de illo *Æcmalotarcha*, seu Principe, qui in Asia Judaicum Imperium tenuit. Hæc siquidem de Asiatico Judaeorum Imperio, & de illo *Æcmalotarcha* Principe Judaeorum narratio, pura putaque fabula est, quæ facile exploditur ex relationibus illorum, qui Orientem suis peregrinationibus lustrarunt, & longinquarum, quas complectitur, Regionum accuratam notitiam tradiderunt. Hi siquidem omnes ne minimum quidem illius Imperii, vel Principatus Judaeorum Asiatici vestigium offenderunt, & de eo nullam prorsus mentionem fecerunt. Hoc unum certum est, & extra omnem dubitationis aleam positum, Judæos per omnes nationes undequaque dispersos, nec Reges, nec Magistratus habuisse, sed Rabbinos dumtaxat, seu Doctores, quibus ex officio incumbere palam docere, & legem interpretari in Synagogis. Quod si identidem apud Judæos nonnulli impostores, & Pseudo-Messia insurrexerint, Regiamque dignitatem affectarint, hi confestim, detecta fraude, fuerunt dissipati, & artes subdole, quibus Judæis, hac in re plus æquo credulis, fucam facere, eorumque ora sublinere tentarunt, omni exitu caruerunt. Sed satis, opinor, hæcenus expo-

sui infelicissimam sortem Judaeorum, qui a tempore, quo crucifixerunt Christum Dominum ad hanc usque ætatem nostram, hoc est, per mille septingentos & amplius annos, Republica, & Civitate propria carent, Sacerdotio destituti, & Regno, vagi, & profugi toto terrarum Orbe calamitatibus obruntur, &, ob antiqui sceleris memoriam, omnibus nationibus exosi durissimam sub Christianis, quos odio vatiniario prosequuntur, serviunt servitute. Quæ omnia per suos Prophetas prædixerat Deus, dicens: Judæos per Mundum divagaturos, transituros de gente in gentem, & de Regno in populum alterum sine Duce, sine Rege, sine Templo, sine Sacerdote (a).

(a) Omnia hic tradita, ex idoneis Scriptoribus accepta esse, fateor, nec aliquid addendum, quamvis fieri non difficile posset, arbitrater. Unum est, quod silendum non censeo, deductum ex vetusto chronico Samaritanorum, quod integrum ab Eduardo Bernardo, viro Anglo & eruditione claro, transmissum, dederunt Auctores Actuum Lipsiensium ann. 1691. pag. 167. idque ipsis chronici verbis hic refero. Anno 4557. Græcorum (Christi 132.) ann. xv. *Abonis Pontificis Samaritani, Hadrianus Imperator ex Ægypto reversus, ubi complures Christianos interficere jussit, Judæos affligere cepit, & obsidione Jerosolymam premere, neque percipit Samaritanis, quamvis uxorem habuerit Samaritidem ex Israh.* Anno 4560. Christi 135. an. 19. *Abonis Pontificis, Hadrianus, usus consilio Ephraimi & Menassæ, profugorum e Samaritis, urbem Jerosolymam expugnat, & delet ignibus; Judæis omnibus pœna capitis loco isto prohibitis, imo & agro Samaritano, ad bis duodecim parasangas. Idem Imperator post hæc Samaritis beneficia & honores eximios contulit, erectis etiam statuis profugorum, quos dixi, super terrastylis in Neapoli. Fanum etiam extruxit in Hargarizim juxta templum Samaritanorum, idque januis Jerosolymitanis ex ere hispanico munivit, exornavitque.* Addit idem Chronographus ad annum Christi 128. Antoninum Imperatorem legem Moysis didicisse, & secundum illam vitam ac regimen instituisse. Fides omnium sit penes auctorem.

D. Ex pœnis, quibus, post necem Christo Domino illatam, miseri subjacent Judæi olim a Deo prædilecti, & innumeris cumulati beneficiis, ex tot miseriis & calamitatibus, quibus etiam opprimuntur, & quæ longe omnes alias, quas antehac in varias abducti captivitates pertulerant, excedunt; nullo negotio intelligo, Judæos non esse Deo gratos, sed potius ob nefandissimum posse hominum memoriam scelus, quod, Jesum Christum verum Messiam crucifigendo, perpetrarunt, fuisse prorsus a Deo derelictos, & in suis plusquam cimmeriis tenebris involutos, traditos fuisse in reprobum sensum. Id, inquam, ex Historia & Tragœdia Judaeorum, quam mihi exhibuisti, tam clare nunc percipio, quam radios Solis in meridie cerno. At nunc, si placet, exponas mihi velim varias illas Sectas, in quas dis-

tracti erant Judæi, quarumve meminit Sacrosanctum Evangelium, *Phariseorum* videlicet, *Sadduceorum*, & *Herodianorum*. Optarem quippe scire a quo tempore exordium habuerint ejusmodi Judaeorum Sectæ, & quid peculiare earum Affectu docuerint.

M. Ante Regnum Assamonæorum, seu Machabæorum, nullum apud Judæos Sectarum Phariseorum, Sadduceorum, & Herodianorum extat vestigium. Trium harum Sectarum meminit Evangelium, sed Josephus Hebræus Sectam Herodianorum prætermisit, & Sectam Essenorum adjunxit Sectis Phariseorum, & Sadduceorum. Memorat etiam idem Josephus aliam, quæ apud Judæos invaluerat, Sectam Galilæorum, cujus auctor putatur *Judas Galileus*, qui nullum in terris Dominum agnoscendum esse dicebat, præter Deum solum. Phariseorum Secta jam sub Regno *Alexandri Jannæi* maxima apud Judæos auctoritate pollebat, eratque conflata ex quibusdam Judæis, qui Majorum suorum traditionibus, quasi Polypi ad saxum, indivulse adhærebant, & austerum sectabantur vitæ genus, ut vanam vulgi gloriam aucupari possent. Insuper legem Oraleam a Deo in Monte Sinai datam fuisse Moysi perdebant; futuram Corporum Resurrectionem, nec non præmiorum, ac pœnarum in altera vita retributionem acerrime propugnabant. Ex adverso Sadducæi traditiones repudiabant, Angelorum, & Animarum spiritualitatem, atque Corporum Resurrectionem inficiabant. Esseni erant quidam Judæi Sadducæis e diametro oppositi, quippe qui Animarum immortalitatem adstruebant, & a cæteris Judæis, puriori quodam vivendi genere, seu Asceticæ vitæ studio dumtaxat discrepabant: Postremo Herodiani, sic dicti sunt a quodam Herode, quem nonnulli existimant, fuisse Herodem magnum, qui regnabat in Judæa, quando in lucem editus est Christus Servator noster. Alii vero autumant, fuisse Herodem Tetrarcham Galilææ, magni Herodis filium, qui vivebat eo tempore, quo Christus Dominus Mundum doctrina sua imbuebat. Fertur, illos Herodianos docuisse, Herodem esse Messiam. Sed verosimilius est illos in alios prorupisse errores, cum Christus in Evangelio Marci cap. 8. v. 15. suos præmoneat Discipulos, ut sibi caveant a fermento Herodis, dicens: *Videte, & cavete a fermento Phariseorum, & fermento Herodis.* Hæc Herodianorum Secta, quæ paucos Affectas nacta est, post obitum Herodis omnino extincta est. Tres vero aliæ Sectæ, seu Phariseorum, Sadduceorum, & Essenorum, quæ circa Machabæorum tempora emerferunt, diu apud Judæos post destructionem Hierusalem persisterunt. Præter has Sectas a nobis memoratas, fuerunt etiam apud Judæos Sectæ Samaritanorum, Caraitarum, & Rabbanistarum. Samaritani insensissimo odio prosequerantur Judæos, nullosque alios libros in suo Scripturæ Sacræ Canone admittebant, præter quinque libros Moysis, quos antiquis Hebraicis characteribus exaratos jugiter conservarunt. Caraitæ erant Judæi, qui legem oralem, seu traditiones respuebant, & unicum purum Scripturæ Sa-

Sacræ textum recipiebant. In Oriente multi etiamnum reperiuntur Judæi Caraitæ. Denique, Rabbanistæ erant hi Judæi, qui legem oralem, seu traditiones, omnesque Rabbiorum expositiones obvis ulnis excipiebant, atque in summo pretio habebant. Horumce Rabbanistarum Secta perseverat in Judæis, qui per totam Europam sunt dispersi. Sed has Judæorum Sectas levi brachio attigisse, sat superque sufficit.

D. Judæorum Sectas modo compertas habeo. Quapropter hoc unum superest, quod a te edoceri cupio; videlicet, quid apud Judæos Profelytorum nomine intelligendum veniat?

M. Duo apud Judæos erant olim Profelytorum genera. Alii siquidem erant Profelyti ex *Justitia*, sicut loquuntur Rabbinii; alii ex *Domicilio*. Profelyti ex *Justitia* erant hi, qui Ethnicis superstitionibus relictis, hoc pacto Judaicæ Religionis mysteriis initiabantur. In primis, circumcidebantur, deinde, quodam suo Baptismo abluebantur, & denique, vero Deo sacrificium offerebant. Mulieres vero, quæ Idololatriam detestantes, Judaicam Religionem amplectebantur, omnia circumcissione, per Baptismi susceptionem, & Sacrificii oblationem Profelytarum sceminarum numero accensebantur. Hi Profelyti, uti docent Rabbinii, omnia legis Mosaicæ præcepta, non secus ac Judæi, observare tenebantur. Idque non obscure colligi posse videtur ex multis locis Scripturæ sacræ, Levitici cap. 16. v. 19. ubi dicitur: *Mense septimo, decima die Mensis affligeris animas vestras, nullumque opus facietis, sive indigena, sive advena, qui peregrinatur inter vos.* Nomine autem *indigena*, seu *advena*, de quo ibi loquitur Scriptura sacra, indignantur hi, qui apud Judæos erant Profelyti ex *Justitia*, quibus, perinde ac Judæis legem Mosaicam observandi onus incumberebat. Idem circa illos Profelytos ex *Justitia* statutum legimus Levitici cap. 17. v. 9. & 10. & cap. 25. ejusdem libri v. 5. & 6. Exodi cap. 12. v. 48. & 49. & lib. Numerorum c. 15. v. 13. & 14. At vero Profelyti ex *Domicilio* dicebantur illi, qui excussis Idololatriæ tenebris, in societatem Judæorum admittebantur, neque tamen circumcidebantur, aut Baptismo tingebantur, sed tantum coram tribus testibus Judæis sese adstringebant ad observationem septem mandatorum juris naturalis Gentium, quæ Judæi appellare solebant *septem mandata Noachidarum*, seu filiorum Noemi. Quorum primum prohibet Idololatriam. Alterum præcipit, ut laudetur sanctissimum Dei nomen. Tertium, Homicidium damnat. Quartum, Adulterium & Incestum vetat. Quintum, cavet ne quis furtum faciat. Sextum, statuit jus unicuique esse reddendum, & Magistratibus justitiæ arbitris obtemperandum. Ultimum, jubet a carne ab animali adhuc vivo præcisâ omnino esse abstinendum. Ad hæc, inquam, tantum septem juris naturalis Gentium observanda præcepta obstringebantur illi, qui apud Judæos Profelyti ex *Domicilio* dicebantur, & ab aliorum legis Mosaicæ præceptorum observatione liberius erant, sicut innuit Scriptura sacra cap. 14. libri Deuteronomii v. 20. & 21. *Omne, quod est mun-*

dum, comedite, quidquid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. *Peregrino, qui intra portas tuas est, da ut comedat, aut vende ei, quia tu Populus sanctus Domini Dei tui es.* Ubi Scriptura nomine *Peregrini* indicat Profelytum ex *Domicilio*, qui apud Judæos degens poterat vesci morticinio, cujus tamen esus Judæis erat lege prohibitus. Cæterum, quamvis hi Profelyti ex *Domicilio* nec Judæi essent, nec legem Mosaicam observarent, eos tamen Judæi tamquam viros probos in suam societatem admittebant, quin & illos æternam salutem consequuturos non dubitabant, si hæc septem juris naturalis Gentium mandata, quæ mox recensui, sedulo observarent. Alios autem homines, qui nec ex justitia, nec ex Domicilio Profelyti erant, a sua societate Judæi penitus arcebant, nec eos in Judæa habitare ullo pacto permittebant; immo, si aliquos ejusmodi homines in Judæa domicilium habentes offendissent, illos tuta & inculpata conscientia a se interfici posse autumabant. Sed plura de his Judæorum Profelytis leges, si per otium vacet, apud *Seldenum* in libro, quem edidit de *Jure naturali & Gentium*.

D. Satis de calamitatibus Judæorum, eorumque Sectis, & Profelytis sermonem texuimus; nunc transitum faciamus ad historiam Hæresum, quæ tribus primis sæculis Ecclesiam Christi infestant, quarum exordium, progressum, atque interitum, ut mihi dilucide exponas, te etiam atque etiam rogo.

M. Annuo lubentissime. Sed ne longius protrahatur hodiernum nostrum colloquium, finem huic imponamus, & Historiam Hæresum, quæ tribus primis sæculis Ecclesiam Christi exagitarunt, opportunius ad proximum colloquium remittamus.

COLLOQUIUM IV.

In quo textitur Historia Hæresum, quæ tribus primis sæculis Ecclesiam infestant.

D. Juxta illam expeditam methodum, quam in tradenda mihi historia Ecclesiastica notitia te principio secuturum spondisti, nunc recto sequitur ordine, ut differas de Hæresibus, quæ tribus primis sæculis in Ecclesia pullularunt. Sed cum necdum satis compertum habeam, quid sibi velit illud Hæresis nomen, expone prius, quæso, quid sit Hæresis?

M. Hæresis, juxta tritum, qui nunc apud omnes obtinet, loquendi modum, dicitur societas hominum, qui mordicus adhaerent erroribus disseminatis ab aliquo Hæresiarcho, seu alicujus Sectæ Antesignano, quique pertinaciter aliquem Fidei articulum in Ecclesia Catholica receptum oppugnant, definitionibus Ecclesiæ parere detrectant, ejusque doctrinam falsis dogmatibus corrumpunt. Quapropter, inter Hæresim & Schisma hoc interest discriminis, quod Hæresis annexum semper habet perversum aliquod dogma; Schisma vero propter Episcopalem dissensionem, vel ob aliqua disciplina capita ab Ecclesia Catholica separat. Hinc Hæretici dicuntur illi, qui ab Ecclesia se-

paran-

parantur, postquam in dogmatibus fidei jamjam dissenserunt. Schismatici autem appellantur ii, qui ab ipsa inchoantes separatione, infesta deinde adjecerunt dogmata. Uno verbo, Hæreticus est, qui non sequitur Catholicam unitatem; Schismaticus est, qui non amplectitur Catholicam pacem, ait S. Augustinus lib. 1. contra Cresconium cap. 3. De Hæresibus, quæ in Ecclesia exortæ sunt, accurate tractant S. Irenæus in libris adversus Hæreses, *Tertullianus* in lib. de Præscriptionibus Hæreticorum, S. Epiphanius in lib. de Hæresibus, S. Augustinus in lib. de Hæresibus ad *Quod vuli Deum*, Theodoritus in libris Hæret. fab. S. Damascenus, & Philastrius in lib. de Hæresibus, ex quibus hauriam quidquid de Hæresibus, quæ in tribus primis sæculis in Ecclesia eruperunt, in hoc colloquio dicturus sum.

D. Quandonam in Ecclesia Hæreses suboriri cœperunt?

M. Epocha, a qua duci debeat origo Hæresum, certo præfigi haud potest. *Hegesippus* antiquissimus auctor citatus apud Eusebium affirmat, Hæreses dumtaxat in Ecclesia enatas esse post martyrium S. Jacobi Justi Episcopi Hierosolymitani, sub Pontificatu Simeonis filii Cleophæ, hoc est, post annum Christi sexagesimum. Tunc enim, ut ait idem auctor, quidam *Thebutis* nomine, ægre ferens, quod in Episcopatu, quem ambiebat, repulsam fuisset passus; peregrinis, falsisque doctrinis Christianos a vera fide diducere, & a cœtu fidelium dissociare cœpit. Quis autem fuerit ille *Thebutis*? vel e qua Patria oriundus? quamve sparserit Hæresim? in occulto est, & altum apud Historicos silentium: Vero quam simillimum videtur, hunc Hæresiarcham nullos natum esse Asseclas, ac sabinde nulli sectæ suum indidisse nomen. *Clemens Alexandrinus* lib. 7. Stromatum, pag. 549. originem Hæresum, quæ emerlerunt in Ecclesia, refert ad tempora Hadriani Imperatoris; nec ab ea sententia abhorret *Eusebius* in Chronico, ubi sub eodem Imperatore multarum Hæresum constituit exordium.

D. Est ne accurata hæc Clementis Alexandrini & Eusebii de origine Hæresum allata Epocha?

M. Altius repetendam esse originem Hæresum, ex eo maxime liquet, quod *Simon Magus*, qui vulgo primus in Hæreticorum grege numerari, eorumque primipilus, ac Coriphæus audire solet, suam sectam, ex qua complures antiquiores Hæreses, velut ex virulento fonte scaturierunt, longe ante Hadriani Imperatoris tempora conflaverit. Hinc est, quod periti historia Ecclesiastica authores numerent quinque Hæreses, quæ in primo Ecclesiæ sæculo grassatæ sunt, quarum prima est *Simonis Magi*; altera, *Melandri* ejusdem Simonis Magi discipuli; tertia, *Nicolaitarum*; quarta, *Cerinthi*; quinta, *Ebionitarum*. Has Hæreses ut tibi ordine exponam, incipio ab Hæresi Simonis Magi, qui Gitthis Samaritæ vico oriundus, præstigiis suis, ac magicis artibus, quas apprime callebat, postquam Samaritanorum animos sibi devinxisset, eo demerita prorupit, ut palam diceret, se esse *magnam Dei virtutem*. Sed a Philippo, uno ex septem Diaconis, Samaritæ prædicante & doctrinam suam stupendis prodigiis ac miraculis confirmante, ad fidem Christi conversus, & cum aliis Samaritanis salutari lavacro expiatus, Phi-

lippo sese adjunxit. Cum vidisset autem Simon Magus, quod ad manuum impositionem Apostolorum Petri, & Joannis, qui Samariam missi fuerant, Spiritus Sanctus in fideles baptizatos illaberetur, eandem potestatem, qua Spiritum Sanctum per manuum impositionem, Apostolorum instar, dare posset, sacrilega nundinatione ab Apostolis emere, & auri, argenti que pretio licitari tentavit. Qua de causa hic sacrilegus licitator a S. Petro fuit increpitus his verbis: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. ... pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Actuum Apost. cap. 8. quibus verbis, quasi repentini fulminis ictu percussus Simon Magus respondit: *Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat super me horum, quæ dixistis.* Non respuit tamen Simon Magus, nec ad meliorem frugem se recepit, quia ementitam dumtaxat exhibuit pœnitentiam. Quare discedens ab Apostolis, ejurato Christianismo, cœpit insitam Samaritanorum animis Apostolicam doctrinam eradicare, & Magicæ arti impensius operam dare, in qua adeo excelluit, ut omnes in stuporem raperet, & in sui admirationem converteret. Relicta dein Samaria, varias perlustravit Provincias, & cum Tyrum Phœnicis Civitatem pervenisset, *Helenam* Quæstuarium & publicam meretricem, sibi sociam adscivit; quam ubique postea secum circumduxit. Tandem, postquam Orientis peragrasset Provincias, Romam appulit; in qua Urbe statuam ipsi positam fuisse cum hac inscriptione: *Simoni Deo Sancto*, Eusebius, Cyrillus, & alii secuti S. Justinum, prodiderunt. Non desunt tamen naris emunctæ hujus tempestatis Critici, qui S. Justinum, hominem Græcum, hac in re fuisse hallucinatum existimant, eumque, cum vulgarem, ac passim extantem Epigraphen legisset: *Simoni Deo Sango*, Simonem pro *Semone* accepisse. Optime siquidem observat doctissimus *Valesius* in animadversionibus Eusebianis lib. 2. cap. 17. statuam illam, quam in Insula Tiberina viderat Justinus, hanc habuisse inscriptionem: *Simoni Sango Deo Fidio*. *Sangus* quippe Deus erat apud Sabinos, qui pactis, & fœderibus præerat, a sanciendo dictus; unde etiam *Deus Fidius* appellabatur a fide, quæ in pactis, & fœderibus servari debet. Quin etiam per hunc Deum soliti erant jurare Romani. Ut ut sit de hoc factio historico, convenit apud omnes, Simonem Magum venisse Romam, ibique suam sectam propagasse, donec Sanctus Petrus Apostolorum Princeps Romam ingressus, pestilentem ipsius doctrinam consutavit, larvam ei detraxit, ac famam, quam apud Populum plus æquo credulorum magicis suis artibus erat adeptus. Quidam auctores quarti & quinti sæculi referunt, Simonem Magum Neroni, tum temporis Imperatori, Populoque Romano suis præstigiis illudere volentem, a malis genis in altum curru igneo vectum per aera, instar alterius Dædali, volare visum esse, sed orante Sancto Petro, ab Stygiis illis vectoribus destitutum protinus in terram corruisse, & fractis cruribus, totoque debilitato corpore misere periisse. Sic extinctus est Simon Magus, ex quo Simonæ fordida pestis, qua